



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 30. Disputatio inter Erasmus & Lutherum de Libero arbitrio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](#)

promptamque illius executionem exem- Sæcul. XVI,  
plo a se prius dato adscribere haud du- A.C. 1526.  
bitabat.

## §. XXX.

*Disputatio inter Erasmus & Luthe-  
rum de libero arbitrio.*

**E**xente hoc anno Lutherus arrepto *Cochl. l. e.*  
calamo libellum edidit *de servo ar-* p. 140.  
*bitrio*; jam antea Erasmus alium scri- *Sleidan. l. 4.*  
pserat librum, cui titulus: *Diatriba de* p. 123. l. 9.  
*libero arbitrio contra Lutherum*, in cuius p. 273. § 274  
operis præfatione afferit, hanc quæstio-  
nem omni ævo acriter fuisse agitatam,  
atque arbitrii libertatem a nemine ve-  
hementius impugnatam, quam a Mar-  
tino Luthero, hancque ob caussam se  
hujus Doctoris dogma suppresso ejus  
 nomine evertens aggredi. Postea dicit,  
negari haud posse, quod efficax virtus li-  
bero arbitrio insit, cum sacræ Paginæ  
nos hortentur, ut si peccatis ob-  
noxii simus, a malo recedamus, viam-  
que poenitentiæ amplectamur, si vero  
per salutis semitam incedimus, ad majo-  
rem perfectionem tendamus: Post hæc  
affirmat, quod nos mali caufsa simus, o-  
mne autem bouum a Dei bonitate pro-  
cedat, cui omne, quod sumus, debe-  
mus. His ita expositis ad ipsam quæ-  
stionem transit, atque ex Sacro Codice

E 4      often-

Sæcul. XVI. ostendit, hominem cum libertate esse  
A.C. 1526. creatum, ejus vero intellectum, voluntatem atque naturam Adami peccato fuisse læsam, proin ut a peccato redimatur, gratiæ divinæ adjutorio indigere, ceterum illius libertatem quamvis primi Parentis noxa ingens accepisset vulnus, nullatenus tamen penitus esse destruetam.

## §. XXXI.

*Analysis libri hujus de libero arbitrio.*

Post hæc hæresin Pelagii recenset, qui hominem solis liberi arbitrii sui viribus salutem consequi posse afferebat. Ostendit inter Theologos, quorum diversas refert opiniones, haud alios magis extollere liberum arbitrium, quam Scotistas, cum hi docerent, quod homo ante gratiam actiones *moraliter* bonas elicere posset. Eorum vero sententiam nimis rigidam existimat, qui omnes actiones, quantumvis *moraliter* bonæ videantur, a Deo rejici tenent, simulque affirmant, quod Pagani quadam naturali Dei cognitione illustrati quosdam actus *moraliter* bonos exercere potuerint. Profitetur Sancti Augustini sententiam plurimum favere gratiæ, cum doceat, quod homo peccato obnoxius non possit